Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36519
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

libidinis. quatinus pena simul esset culpe. Nec misisse dicitur, sed pluisse: quatenus ipso verbo magnitudinem et habundantiam pene notaret. neminem pepercit oculus eius. sed simul omnes extinxit. Uxorem quoque loth. quia retro respexit. in statuam salis mutavit. sed nec solum urbes. sed omnem etiam regionem in mare mortuum et valle salinarum convertit. Horrendum est enim incidere in manus dei viventis. quia quanto maiorem sue longanimitati exhibet patientiam. tanto duriorem sue severitatis infert vindictam.

De ambitioso.

Opes itaque cupidus congregat. et avarus conservat. voluptates gulosus degustat. et luxuriosus exercet. honores ambitiosus affectat. et superbus extollitur. Ambitiosus semper est pavidus. semper attentus. ne quid dicat vel faciat quod in oculis hominum valeat displicere. Humilitatem simulat. honestatem mentitur. affabilitatem exhibet. benignitatem ostendit. subsequitur et obsequitur. cunctos honorat. omnibus inclinat. frequentat curias. visitat optimates. assurgit et amplexatur. applaudit et adulatur. Bene novit illud poeticum. Si pulvis erit nullus, tamen excute nullum. Promptus et fervidus. ubi placere cognovit. tepidus et remissus. ubi putavit displicere. improbat mala. detestatur iniqua. Sed alia cum aliis probat et improbat. ut iudicetur ydoneus. ut reputetur acceptus. ut laudetur ab omnibus. ut a singulis approbetur.

Et ecce quantam intra se retinet pugnam. difficilemque conflictum. dum iniquitas pulsat animum. et ambitio continet manum. et quod illa suggerit faciendum. hec fieri non permittit. Colludunt tamen adinvicem mater et filia. iniquitas et ambitio. Illa namque mater in aperto subsistit. et filia in occulto non resistit. hec enim vendicat sibi publicum. ista secretum. Ambitiosus libenter agit de principatu. quem ambit et dicit. O quando principabitur. et severus erit in iustitia. pius in misericordia. qui non deviet amore vel odio. qui non corrumpatur prece vel pretio. qui credat fidelibus. et acquiescat simplicibus. qui sit humilis et benignus. largus et mansuetus. constans et patiens. sapiens et astutus.

De concupiscentia ambitionis.

Quomodo ~~symoniace~~ ambitiosus symoniace honorem acquirit.

Si forte hac arte non proficit recurrit ad aliam. advocat Symonem. et accedit ad Yezi. Et hunc nititur emere quod prece non valet obtinere. supplicat et promittit. offert et tribuit. proh pudor gratiam. quam gratis adipisci non potuit per fas et nefas nititur adipisci. non resistit adhuc sed insistit et invadit violenter honorem. et impudenter arripit dignitatem. amicorum suffragio. presidio propinquorum. tantoque dominationis inflammatur ardore. tantaque libidine presidendi. ut scisma non